

gressum religionis: ità concessisse Martinum V., Paulum III, Sixtum IV. et V., S. Pium V. aliosque Pontifices passim referunt Scriptores Regg., Peyr., Ant. à Spir. S., Salmantien. et alii, uti et Compend. Privil. Minor. Societ. Jesu etc.

* Quidquid sit de privilegiis directè et expressè concessis circa huiusmodi dispensationem variis Ordinibus regularibus, quorum tenores semper sunt speciatim inspiciendi, respectu Regularium per viam tantum participationis iisdem privilegiis gaudentium etiam cum clausula: *pariformiter et æquè principaliter, perinde ac si in specie eis concessa fuissent*, lectorem remitto ad sequens Cong. Conc. responsum à me recognitum, quod cum integra supplicis libelli serie refero, prout reperitur in Regestis ejusdem S. Cong. lib. Decret. 35. pag. 145. *Dubia facultatis absolvendi, et dispensandi* 14. Aprilis 1685.

«Omnibus et singulis Cong. S. Mauri Ordinis S. Benedicti personis concessum est à fel. recor. Summis Pontificibus Gregorio Papa XV. Bulla data anno 1621. et Urban. Papa VIII. an. 1628. uti, frui, potiri et gaudere omnibus et singulis privilegiis, gratiis et libertatibus concessis Congreg. Cassinensi, S. Victorii et omnibus quibuscumque Ordinibus Mendicantium et non Mendicantium, Militarium et Hospitalarium.

Concessa est eadem PP. Cassinensibus facultas absolvendi in utroque foro, et dispensandi super censuris, irregularitatibus et inhabilitatibus monachos suos, qui ante religionis ingressum, homicidiis voluntariis, aliisque patratris facinoribus irregularitates et censuras incurrunt, ut patet ex Brevibus Eugenii Papæ IV., Romæ Kal. Aprilis Pontificatus XI. Innocent. Papæ VIII, Kal. Novemb. Pontificatus anno III. beatæ mem., Pii Papæ V. idibus Jul. anno 1571. datis.

Concessa est eadem facultas PP. Congreg. Montis Oliveti à Pio Papa IV. Bulla data anno 1560. die 24. Maji Pontificatus anno primo.

Sed et PP. Prædicatoribus Dominicanis Bulla Julii Papæ II., data anno 1510. Pontificatus anno VII.

Nec non et PP. Societatis Jesu Bullis Pauli Papæ III., anno 1549., 15. Kal. Novem. Pontificatus anno XV. et Gregorii Papæ XIV. anno 1591. datis.

Cùm itaque PP. Cong. S. Mauri data fuerit facultas ab Urbano Papa VIII. utendi, gaudendi et fruendi omnibus privilegiis aliis Congreg. et Ordinibus concessis, non solum per participationem et extensionem, sed perinde ac si illa omnia in specie eidem Congreg. concessa essent, Procurator Generalis ejusdem Congreg. humiliter instat declarari:

Primum. An superiores dictæ Cong. licitè validèque possint absolvere in utroque foro, ac dispensare super irregularitatibus et censuris suorum monachorum per homicidia, vel in bello, vel in jurgiis, aliisque motibus quasi indeliberatis contractis?

Secundum. An eos possint rehabilitare ad susceptionem Ordinum, dignitatum et prioratum seu capellaniarum regularium?

Sac. etc. ad utrumque respondit: *Negativè.* **»

4.º Confessarii regulares, sicut Episcopi, dispensare possunt in hac irregularitate occulta cum secularibus pœnitentibus, dummodò non oriatur ex homicidio voluntario: ità concessit Sixtus IV. Ordini Minimorum; idemque privilegium confirmavit Julius II. Constit. incip. *Dum ad sacrum.* Paulus III. Constit. incip. *Cùm inter cunctas.* Et quamvis Cassarubius, Suar. et alii dicant non esse satis securum hac facultate uti, Salmaticenses tamen cum multis aliis gravissimis DD. asserunt omninò licitum esse usum hujus facultatis, cùm eam revocatum fuisse non constet. Vide Salm. *tr.* 10. c. 7. p. 4. n. 59. et seqq. et *tr.* 18. c. 4 p. 2. §. 12.

* Hic iterum lectorem remitto ad alterum et quidem generale ejusdem Cong. responsum, quod à me pariter recognitum transcribo unà cum integra supplicis libelli serie, prout reperitur in Regestis dictæ Cong. lib. 24. Decret. pag. 26. à tergo 9. Februarii 1634.

«Cadurcen. dispensationis suplex narrat D. Episcopus Cadurcensis; in hac diœcesi, nonnullos regulares facultatem in irregularitatibus occultis ex delicto contractis dispensandis sibi assumere; quæ cùm per Concilium Episcopis permissa fuerit, ab iisdem Regularibus non absque disciplina ecclesiasticæ relaxatione usurpatur: quare petit, ut ex hac S. Cong. declaretur.

»An facultas attributa Episcopis in cap. 6. sess. 24. de reform. intelligatur etiam concessa Regularibus, sive eorum superioribus.

»Cong. Conc. censuit, non intelligi concessam.»

Idem responsum dedit ad dubium mense Julio an. 1585, in causa pro Commissario Ordinis Minorum Conventualium in regno Siciliæ, ut lib. IV. Decret. pag. 43. **

TITULUS XIII.

DE TORNEAMENTIS.

94. In hoc et seqq. duobus titulis continuatur crimen homicidii, cujus causæ etiam sunt *torneamenta* seu *bastiludia* solemnia, in quibus milites, nobiles et alii ejusmodi homines convenire solent ex conducto, et congregari ad ostendendam audaciam et peritiam bellandi, et virium fortitudinem. Torneamenti similis est agitatio taurorum seu concertatio cum bestiis.

95 Q. I. *An licita sint torneamenta?*

R. 1.º Si fiant cum moderamine et per arma hebetata, ut nullum sit vitæ periculum, de se sunt licita laicis, non clericis; nam talia unbratilia exercitia fiunt ob solemnitatem diei, v. g. in principum inau-

gurationibus, diebus natalibus, triumphis etc.; et licet prohibita fuerint à Clem. V in Conc. Vien. propter sumptus, qui tunc potius applicandi erant bello sacro, tamen prohibitio ista ad instantiam Regis Franciæ et Navarræ, et principum Germaniæ sublata est à Joan. XXII, *Extrav. un. hoc tit.* Clericis tamen ob indecentiam sub pœna anathematis prohibentur talia exercitia à Concil. Herbipol. Salisburg; Gonzal.

2.^o Torneamenta periculosa cum armis acutis et cuspiditatis sunt graviter illicita, et utroque jure prohibita: ita *cap. 1. h. t.*, ubi exercitia ista vocantur *detestabiles nundinæ et feriæ*, in quibus aliud expectari nequit, nisi periculum vitæ corporalis et salutis æternæ. Unde etiam Constantin. *l. un. C. de gladiatorib.* cruenta spectacula, uti sunt torneamenta, penitus sublata voluit. Quibus juribus corriguntur *l. 7. §. 4. ff. ad L. Aquil., l. 2. §. Scum. ff. de aleator.*, et similia jura etiam consuetudinaria, siquid contrarium decernunt, cum jure naturali consuetudo derogare non possit (*c. fin. de consuetud.*)

93. Q. II. *Quæ sint pœnæ pugnantium in torneamentis?*

R. 1.^o Occidens punitur pœna ordinaria L. Corneliæ de Sicar.: laicus verò occisus, etsi ante mortem pœnitens Ecclesiæ Sacramenta perciperit, privatur sacra sepultura, idque ad terrorem aliorum (*l. c. 1. et fin. h. t. Can. 6. siquis. 26. q. 6.*) Hæc tamen non extenditur ad eos, qui per accidens propter recipienda sua credita, vel propter curiositatem locum torneamenti accesserunt, et casu occisi sunt. Clericus verò, si pœnitens decessit, non privatur sacra sepultura, sed oblationis et orationis publicæ pro eo fieri prohibentur (*Can. 4. quicumque 23. q. 8.*)

2.^o Pugnantes cum tauris et aliis bestiis pro mercede, fiunt infames de jure civili (*lib. 1. §. 5. v. qui et operas ff. de postulando*): de jure Can. si ibi decedant, privantur sepultura sacra, tanquam manifesti peccatores: ipsi verò domini agitationem bestiarum permittentes incurrunt excommunicationem ex Const. S. Pii V., quæ tamen ad terminos juris com. reducta est per Greg. XIII. et Clem. VIII., dummodò agitationes istæ fiant secluso periculo mortis et extra dies festos (*Barb. in c. 1. h. t. Gonz. et alii.*)

TITULUS XIV.

DE CLERICIS PUGNANTIBUS IN DUELLO.

97. Præsens rubrica est strictior nigro; quia in hac non tantum clericis, sed etiam laicis duellum prohibetur. Definitur autem *Duellum*, græcè *Monomachia*, quòd sit singularis pugna ex conducto à duobus

a—Agitur de hac materia in Decreto *Can. 22. Monomachiam 2. q. 5.*—In *Trid. S. 25 c. 19. de reform.*

spontè suscepta. Aliud est *solemne* seu publicum, quod fit cum certis solemnitatibus, cujusmodi sunt: determinatio seu securitas loci pro duello, determinatio temporis, litteræ provocatoriæ seu chartulæ denunciationem continentem, et patrini seu secundantes. Aliud est *privatum*, quod fit sine dictis solemnitatibus.

98. Q. I. *An duellum eo genere suo sit illicitum?*

R. 1.^o Affirmativè; nam exponere se periculo mortis temporalis et æternæ est illicitum; hoc autem fit in duello. Unde duellum omni jure prohibetur: *naturali*, quia est contra justitiam, charitatem sui et proximi: *divino*, per præceptum *non occides*: *civili*, *l. un. C. de gladiatorib. Canonico h. t.* Quia verò materia duelli non est ita intrinsecè mala, ut in nullis circumstantiis cohonestari valeat, ideo quæritur de causis, ex quibus duellum possit, vel non possit cohonestari.

2.^o Duellum cohonestatur ex seqq. causis:—I. Si fiat jussu Dei, qui est dominus vitæ et necis.—II. Si fiat ob defensionem honoris divini religionis et boni communis, cui bonum privatum vitæ postponendum est.—III. Si fiat ex causa terminandi bellum, dummodò per hoc victoria, alioquin satis certa, non reddatur dubia: sic David cum Goliath, S. Wenceslaus cum Duce Curimensi singulare certamen iniverunt.—IV. Si fiat ad necessariam defensionem vitæ et fortunarum, servato tamen moderamine inculpatae tutelæ.—V. Si fiat auctoritate publica à duobus condemnatis ad mortem, quatenus alter in alterum constituitur minister justitiæ. Sed quia res ista crudelitatem sapit, peccat princeps tale duellum offerendo sub conditione, ut is veniam vitæ obtineat, qui alterum occiderit, seu victor extiterit.

3.^o Duellum non cohonestatur ex causis vanis, futilibus et imaginariis, uti sunt:—I. Duellum inire ad ostentationem virium et artis militaris, ad voluptatem et recreationem spectatorum.—II. Ad declinandam injustam accusationem vel detractionem; quia duellum ad eam abolendam nec est necessarium, nec utile, cum alia ordinaria dentur remedia repellendi injustum accusatorem.—III. Ad ostendam innocentiam, veritatem, et objecti criminis purgationem, quia hoc modo Deus tentatur.—IV. Ob punctum honoris, si vir militaris offerat vel acceptet duellum, ne timiditatis et ignominie notam apud alios incurrat, et propterea ab eis non aestimetur. Oppositam proposit. n. 2. damnavit Alex VII his verbis: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ratio est, quia duellum non est medium necessarium ad defensionem honoris, cum iste pluribus licitis modis defendi possit, v. g. dicendo: ob reverentiam legis divinæ et humanæ non accepto duellum; si tamen me aggressus fueris, generosè resistam tibi; neque est medium utile, quia duellans non tantum honorem non conservat, sed potius reipsa infamiam et perpetuum dedecus incurrit (*Trid. sess. 25. c. 19. de reform.*) Aliqui tamen DD. et nimis quidem laxè, excipiunt illum casum, quo recusans acceptare duellum, amitteret suum officium bellicum, ex quo præcisè sustentatur, ita ut deinde mendicare cogatur; nam,

ajunt, acceptans duellum, non movetur ex puncto honoris, sed ex necessitate conservandæ sustentationis, quam, recusato duello, certò amitteret. Principes autem graviter obligantur ad pravas istas consuetudines extirpandas.

Dices: I. Defensio cuique est licita; ergò potest quis per duellum suum honorem tueri.—II. Statuta ordinis equestris S. Jacobi non admittunt illum, qui provocatus, duellum recusavit.

R. *N. C.* Nam hic non præcessit offensio; ergò nec est justa defensio. Nec juvat stulta opinio improborum duella laudantium, quia contra legem Dei prævalere nequit—*Ad II.* Statuta illa procedunt de timidis, qui fugerunt; non verò de illis, qui duella non acceptant, parati tamen sunt aggressori resistere.

99. Q. II. *Quæ sint pœnæ duellantium?*

R. 1.^o De jure civ. si provocans occidit, punitur pœna ordinaria L. Corn. de Sicariis, scilicet gladio: provocatus, si occidit, plerùmque mitius punitur (l. 14. §. 6. ff. de bonis libert.), quia ignoscendum est provocato.

2.^o De jure Can. clericus duellans deponitur, seu perpetuò suspenditur ab officio et beneficio; et si alterum occidit, fit irregularis (c. 1. h. t. Can. 8. d. 50.) Si nec mors, nec mutilatio secuta est, poterit Episcopus suspensionem istam relaxare.

3.^o Vi Trid. sess. 25. c. 19. de reform., domini temporales concedentes locum securum pro duellis, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ: et si talem locum obtineant ab Ecclesia, privantur ejus dominio et jurisdictione: si verò ab alio illum habeant in feudum, hoc revertitur ad dominium directum.—II. Duellantes et eorum patrini incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, proscriptionem suorum bonorum et perpetuam infamiam; et qui in duello occiderit, puniendus est ut homicida: qui verò in ipso conflictu decesserit, privatur sepultura Ecclesiastica, etsi decedat cum signis pœnitentiæ, ut habetur in Rituali Pauli V. tit. de Hæquius—III. Consilium dantes in causa duelli, aut illud suadentes, et spectatores, qui scilicet, ex proposito spectant, approbando et animando duellantes, excommunicationis et perpetuæ maledictionis vinculo tenentur. Quod extendi non debet ad eos, qui fortuitò veniunt ad locum duelli, et ibi aliquantum ex curiositate morantur; vel qui à longè ex fenestris suis aspiciunt, vel qui vadunt ad locum duelli, ut illud impedian. Et hæc sunt pœnæ à Trid. statutæ pro duellis publicis, quas pœnas Greg. XIII. constit. incip. *Ad tollendum* 1582. et Clem. VIII. constit. incip. *Illius vices* 1592. extenderunt ad duella privata ex conducto seu prævio pacto inita, ubi *nulli patrini, sociive ad illa vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ, aut denunciationis chartulæ præcesserint.*

4.^o Ex his pœnis censuræ, inhabilitates et privationes juris querendi, incurruntur ante sententiam; pœnæ verò privantes jure quasi-to post sententiam declaratoriam criminis, ex communi doctrina de pœnis. Privatio sepulturæ sacræ, si duellum est notorium, incurritur

absque ulla sententia, ut habet usus Ecclesiarum: si verò duellum non sit notorium, opus erit sententia Episcopi.

Si quis in duello lethale vulnus accepit, et deinde extra duelli locum post aliquod tempus decessit, non privatur sepultura sacra; nam non decessit in ipso conflictu, quod requirit Trid. Imò favorabilis est sententia Portelli, de la Croix, Tambur., neque hunc privandum esse sepultura sacra, qui in loco conflictus ante mortem confessus, et sacramentaliter absolutus fuit; nam moraliter censetur extra locum conflictus decedere.—Nec contrarium colligitur ex Rituali Pauli V; quia sacramentaliter confiteri et absolvi plus est, quam edere signa pœnitentiæ.

TITULUS XV.

DE SAGITTARIIS.

100. *Sagittarii* erant, qui olim ex arcubus simul et semel plures sagittas emittebant. *Ballistarii*, qui ex ballistis seu catapultis ejaculabantur xaxa in hostes. Hodie in usu sunt tormenta et mortaria bellica, ex quibus glandes, globi plumbei, ferrei aut lapidei artificiosè emittuntur. Hæc ars tormentaria in bello justo, quod Christiani gerunt adversus infideles vel inter se, licita est; quia nihil refert, quibus armis militetur (Can. 2. *Maximianus* 23. q. 2.) At docere artem istam infideles, vel loco infidelium eam exercere contra fideles, est illicitum et prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ (arg. cap. 6. de *Judæis*), et Bullæ Cœnæ, quæ prohibentur instrumenta bellica deferri ad infideles. Si illicitè christiani hac arte utantur, v. g. cum superstitionibus, et venenationi gladium, excommunicandi sunt (c. *h. t.*)

TITULUS XVI.

DE ADULTERIIS ET STUPRO.*

101. A crimine homicidii transiit Compiler ad crimen luxuriæ, eujus species sunt: *Fornicatio simplex, concubinatus, stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, vitium contra naturam, et raptus.* Non

a.—Agitur de hac materia in Trid. sess. 24. c. 8. de *refor. matr.*, et §. 4. *Instit. de publ. judic.*—In *Pandectis lib. 48. tit. 4.*—In *Codice lib. 9. tit. 9. 10. 11. 13.*